



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. De quibus præterea rebus, seu causis licitum sit transigere, vel non?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

*f. b. t.* vel nisi præter mandatum procuratorium liberum à Capitulo, sive Conventu, literas etiam sive clausulam habeat de ratihabitatione, sive quòd Conventus sui Capitulum omnia rata habere velit, quæ Prælati in causa aliqua ipsi commissæ egerit, juxta relatum *c. Contin- git.* vel nisi casus necessitatis aliud exigat, ad gravia v. g. scandala devitanda, &c. aut transactionem de juribus sibi competentibus Parochus v. g. fecerit ad dies tantum vitæ. *c. De cetero s. b. t.* vel beneficiatus v. g. liti sibi mortæ cederet, ut jus suum beneficiale, ad quod institutus legitime videtur, retineat, argu. *c. Admonet 4. de renunt.* solvendo etiam impostum beneficiatio legitimâ auctoritate censum, in proprium præjudicium cum legitimi Superioris auctoritate, admittendo quòd ad dies vitæ v. g. suæ ita ut talis transactio sit merè personalis,

## §. III.

*An, & quâ ratione liceat transigere de rebus spiritualibus, vel iis, quæ spiritualibus annexa sunt?*

**T**ransactio, ut pro beneficio Ecclesiastico, aut re spirituali temporale quid detur, remittatur, aut promittatur, vel etiam spirituale aliquid, cui annexum est quid temporale, non valet, quia speciem Simonie habet, ut dictum, & ex *c. ult. de rerum permutatione*, ac *c. Super eo 7. h. t.* patet. Ubi sola amicabile & proles gratuita compositio (cæteris paribus) incausis his beneficialibus admittitur. Quòd si tamen pro re aut jure purè spirituali alia res aut jus purè spirituale detur, non est simoniaca talis transactio, sed speciem potius permutationis licitæ habet, & idè hæc transactio

fieri potest argu. *c. Ad questionem 6. & c. final. juxta Gloss. V. temporalia de rerum permnt.* quamvis ex speciali ratione aliqua, licentia nonnunquam Prælati & aliis solemnitates intervenire debeant, quin alienationem bonorum Ecclesiasticorum continet.

Ex *c. Præterea 9. b. t.* insuper constat, quòd super jure patronatûs, aut præsentandi ad beneficia, pro re temporali transigi non possit, cum jus patronatûs spirituale quid sit, ut tradit *Glossa finalis hic*, vel certè spirituali antecederet annexum *c. Quanto 3. junctâ Gloss. V. annexa. de judicis.* & ex *c. Præterea 10. b. t.* super spirituali subjectione pro re temporali aliqua transigi non potest, ob periculum & speciem Simonie & ex *c. Ex parte 11. b. t.* super matrimonio nec transactio nec amicabile compositio fieri potest, si contra vinculum matrimonii per talem transactionem aut compositionem fieret aliquid, ad illud dissolvendum, ut advertit *Glossa hic V. Sacramentum*, cum in nostra potestate non sit dissolutio matrimonii ex jure Divino insolubilis.

## §. IV.

*De quibus præterea rebus, seu causis licitum sit transigere, vel non?*

**D**E publico crimine capitali (ob quod scilicet pœna sanguinis irrogatur) quòd liceat transigere ex *l. transigere 18. junctâ Gloss. V. Capital. Cod. h. t.* patet. Quis licet cuius sanguinem suum quovis modo redimere; neque pro confesso reus transigens haberi debet, quia merito censeri potest, non tam ob conscientiam criminis quàm ad periculosam accusationem. de-  
cla-

## §. V.

## De forma Transactionis ejusque extensione &amp; rescissione.

clinandam transigisse. De aliis tamen publicis aut etiam privatis criminibus, quæ pœnam sanguinis non irrogant, si criminaliter ad vindictam agatur, nec permittitur de jure communi transactio, uti ex *cit. l.* patet, nec amicabile compositio, ut ne crimina maneant impunita contra bonum commune; & plerùmque reus taliter transigens, cum cesset omne capitis & sanguinis periculum, pro confesso habetur, nisi probare possit ad redimendam præcisè vexam, se transigisse, aut transigisse de crimine falsi, quo in casu ex *relat. Lege* licita est transactio, ob gravissimam infamiam, quam secum trahit hoc crimen, quæ meritò pœnæ sanguinis æquiparatur. Si verò de tali crimine civiliter tantùm agatur, ad pœnam parti læsæ applicandam, valida & licita est transactio, sicuti & gratuita & amicabile compositio, cum juri suo partes præjudicare, ac cedere possint. Quòd si verò sint causæ merè civiles, ex jure Civili patet. Primò quod de iis, quæ in Testamento vel Codicillo relicta sunt, sine judice transigi non possunt, nisi inspectis & cognitis verbis Testamenti, prout habetur in *L. 1. §. Ratio. ff. de Testam. quemadmodum. aperiuntur. l. de his 6. §. 1. non est 12. ff. h. t.* Secundò quod nec de alimentis in ultima voluntate relicta, quæ in futurum debentur, sine judicis auctoritate, & causæ cognitione transigere liceat (ne Testatoris voluntas facile negligatur) nisi per talem transactionem conditio alendi fiat melior; de alimentis verò præteritis licitum esse transigere, etiam sine Judicis auctoritate & causæ cognitione ex *L. Alimentis 8. Cod. h. t.* patet, cum in hoc casu nihil urgeat allata ratio.

Formam transactio in foro Civili valida accipit ex jure Civili, secundùm quòd alia transactio fit simplici accepti latone; alia fit præcedente aquiliana stipulatione. Illa est, quam non præcedit alia stipulatio, etsi petas à Creditore, cui debebas centum, an contentus esse velit, si 50. solvas, & ille respondeat, contentum se futurum. Altera est, quæ fit per varias interrogationes, de quibus jura Civilia, cum spectato jure Naturæ & Canonico nulla certa verborum forma ad transactionem validam requiratur, sed possit illa fieri vel purè & absolute, vel conditionatè, vel in, vel extra judicium, vel verbis tantùm, vel etiam interveniente scripturâ, vel pœnâ apposita, vel cum Clausulâ *Rato manente pacto &c.* vel cum, vel sine juramento &c. Extendenda tamen non est transactio facta super re certa aliqua & determinata, ad res alias quàm expressas, nisi sint accessoriæ, & connexæ, quamvis si indefinita & generalis sit facta transactio super tota hæreditate v. g. super omnibus juribus Episcopalibus, ad omnia particularia sub tali genere contenta, extendi possit, etiam si in specie non sint cognita, nisi proprietas verborum aut tractatus præcedens aliud exigat. Rescindi autem potest transactio ex variis causis. Primò si interposito metu incusso, qui cadit in virum constantem, facta sit. Secundò si dolo extorta sit. Tertio si intervenierit error substantialis. Quarto mutuo consensu partium. Quintò per errorem Calculi &c.

## §. VI.